

Declaratio
de qua in ru-
brica.

licique eorum statui, & directioni oportune consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§.1. Hinc est, quod Nos, quo difficultates, quæ ut accepimus, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum aliquid molestiæ adferunt è medio tollantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Ministrum Provinciale Provincie Romanæ dicti Ordinis, ipsamque Provinciam cum omnibus, & singulis ejus Domibus, Locisque Regularibus, & Conventibus dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori ejusdem Ordinis, dum hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Commissariisque Generalis appellatur, & est, iis legibus, eoque modo, quo ceteræ Provincie, ceterique Ministri Provinciales Ordinis hujusmodi, juxta ejus Constitutiones Apostolica auctoritate confirmatas subjectæ, & subjecti sunt, apostolica auctoritate, tenore presentium subjicimus, ac presentibus nostris Literis alias a Nobis die 16. Martii anno 1626. emanatas minime obstate, Nosque per secundodictas Literas auctoritati Commissarii Generalis dicti Ordinis, cui Minister Provincialis Romanæ Provincie prædictæ, ipsaque Provincia more ceterarum Provinciarum, ceterorumque Ordinum parere debent, eo maxime tempore, quo dictus Minister Generalis transmarinas, & ultramarinas Provincias incolit, invisitque, noluisse, nec intendisse derogare declaramus.

Quod recognoscant Superiores Generales.

§.2. Mandantes propterea dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Provinciali, aliisque Officialibus, & Fratribus dictæ Provincie Romanæ quomodolibet nuncupatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientie, ac sub suspensionis, & irregularitatis, depositionisque ab eorum officiis, & muneribus, perpetuæque privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, aliisque arbitrio dilecti filii nostri Antonii videlicet Sancti Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis S. Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani moderni, & pro tempore existentis Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, pœnis, ut Ministrum Generalem, & Procuratorem Generalem dum vices ipsius Ministri Generalis sustinet, eisque Commissarius Generalis præfatorum, in suos Superiores recipiant, & agnoscant, eorumque salubria monita, & jussu suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus, quatenus opus sit, prædictis nostris Literis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provincie hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliorboratoris statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provincie, ac

Ministro Provinciali, aliisque Fratribus prædictis, & quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de apostolica potestatis plenitudine in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die dematertia Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 17.
Maii 1638.
An. XV.

DLXXI.

Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes, & ambientes.

Plures Summi Pontifices Congregationibus Monachorum prohibuerunt dignitatum ambitum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. **A**lias a felicitis recordationis Gregorio Papa XIII. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Nihil in unaquaque religiosa familia, in qua obedientie firmissimæ iactis fundamentis plerique fideles in claustris altissimo famulari student, æque arbitramur esse utile, quam supremam in eisdem auctoritatem gerentibus omni contentione exclusâ, ea qua decet reverentia, universos parere, eorumque dictis audientes esse, necnon a regulari observantia professorum pectoribus honorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare. Utque hæc, divina assistente gratia, maxime in Congregatione Monachorum de Observantia Congregationis Cassinensis alias Sanctæ Justine de Padua Ordinis Sancti Benedicti, quæ vitæ sanctitate claruit, ex sententia nostra succedant, antiquas Constitutiones approbandas, & in illarum transgressores duriores poenas proponendas, & alias opportuno providendum esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire. Accepimus enim, quod licet alias fel. record. Eugenius Papa IV. Prædecessor noster, sub datum

Literæ Gregor. XIII.

tum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Domini 1432. nono Kalendas Decembris, Pontificatus sui Anno Secundo, inter alia voluerit, In Capitulo Generali ejusdem Congregationis singulis annis celebrando, novem Definidores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, sicque electos totum Capitulum prædictum representare, eorumdemque Definitorum Statutis, Constitutionibus, Ordinationibus, Definitionibus, & Correctionibus singulis Congregationis ejusdem Monachos, cujuscumque dignitatis, status, gradus, sive conditionis existerent, in omnibus efficaciter parere, ac hujusmodi Definidores de Monasteriis, & locis, illorumque bonis, prout viderent expedire, disponere, necnon ex Monachis tunc presentibus, & futuris, quos ad id idoneos judicavissent, in Abbates pro tempore vacantium Monasteriorum, ac Prioratum hujusmodi, alias juxta dictæ Congregationis Constitutiones, Ordinationes, & Statuta eligere, sive nominare, necnon ad eorum beneplacitum taliter electos absque aliqua etiam causâ cognitione a regimine etiam dictorum Monasteriorum, & Prioratum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absolvere, & amovere posse. Idemque per alias Literas datas Florentiæ, Pontificatus sui Anno Quarto decrevit, dum occurrente vacatione Monasteriorum, & Prioratum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, quo illis ratione providendum esset, ordinavit, prout in singulis ejusdem Prædecessoris Literis plenius continetur. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, ejus, quam Deo voverunt, obedientiæ plane oblitos, præfatis Superioribus in electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorumdem nutum, & beneplacitum a Monasteriis, & aliis officiis absolvendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis, adversari, & contradicere, & cum illis ad contentiones devenire: alios vero, ne contra eos veluti inobedientes, vel alia etiam ex causâ, aut ex quantumvis gravi crimine, & excessu procedi possit, contra ejusdem Congregationis Statuta, & Ordinationes, varias oppositiones, & subterfugia, aut alia impedimenta afferre, vel interponere, necnon absque eorumdem Superiorum licentia in his, quæ ad morum correctionem, & regimen, administrationemque Congregationis ejusdem pertinent, jurisperitos, & alios consulere temere ausos fuisse, & nunc præsumere, quosdam etiam professionis, & regulæ, quam sub humilitatis habitu professi sunt, penitus immemores, reperiri, qui sic ambitione dignitatum, & officiorum ecclesiasticorum in dicta Congregatione consequendorum, quo facilis de Congregationis rebus, & personis ad eorum libitum, disponant, se esse patiuntur, ut ad ecclesiasticorum, & secularium Principum

auxilia, vel occulte, vel palam recurrant, & a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque Prælati commendatitias literas propterea expetant, & novi aliquid semper, ut optati compotes fiant, in eorum animæ perniciem parando, ac moliendo, ejusdem Congregationis quietem cum animarum illorum periculo non modico perturbent. Nos igitur præmissis occurrere, ac ejusdem Congregationis Monachorum honori, & quieti, quos in visceribus gerimus charitatis, necnon ad deterrenda maleficia gravioribus etiam pœnis propositis, consulere cupientes, ac dictarum Prædecessoris literarum seriem, ac si de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro expressis habentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia singulas Prædecessoris prædicti literas ea in parte, quæ illa auctoritatem illorum, qui pro tempore regenda Congregationi deputati erunt, respiciunt, quod ad eorum nutum, & beneplacitum Abbates, & alios quovis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos similiter absque aliqua causâ cognitione, servatis aliis ipsius Congregationis Constitutionibus, ab officio amovere, & absolvere possint, apostolica auctoritate tenore presentium approbamus, & confirmamus, & quatenus etiam opus sit, easdem quoad præmissa dumtaxat innovamus: quodque contra eos, qui in præmissis eisdem Superioribus in electionibus, vel amotionibus hujusmodi contradicere, vel se opponere, aut cum illis contendere præsumpserint, per penam privationis officiorum, quæ obtinuerint, ac personæ coercionem, & carcerationem animadvertatur, statuimus. Cumque idem Prædecessor districtus inhibuerit, ne cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab Institutis, Ordinationibus, Correctionibus, & Mandatis Capituli Generalis, sive Præsidentis, aut Visitationum, vel Rectorum ejusdem Congregationis, ad quemcumque, etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde sequitis irritam discernendo; si autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis civiliter, aut criminaliter ageretur, secundum statuta, & consuetudines Congregationis prædictæ, juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus ommissis, procedi debere mandaverit: ejusdem Prædecessoris exemplo adducti, quod quodcumque contra Monachos judicium ex quavis causâ institui contigerit, summarie, simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, necnon omni, & quacumque appellatione remota agi; appellantes vero, aut de nullatibus sententiarum, processuum, & aliorum quorumcumque contra se decretorum, vel actorum dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis non

non obstantibus privationis officiorum, & carceris poenis itidem affici, & ad ulteriora in causis, quas pro tempore agitari contingeret, privationis officii, carceris, & aliarum poenarum propterea inflictarum executionem procedi posse volumus, eademque poenas ad eos etiam Monachos, qui a iurisperitis, aut aliis quibusvis personis extra dictam Congregationem absque eorum Superiorum licentia in his, quae obedientiam, aut correctionem, ejusdemve Congregationis regimen pertinebunt, consilium capient, extendimus, ac omnes, & singulos Monachos Congregationis praedictae, cujuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeminentiae, & literaturae existentes, & quacumque dignitate praefulgentes, qui ad Praelaturas, & alia officia dictae Congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe, vel indirecte, palam, vel occulte ad dignitates, seu officia in Congregatione praefata obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, illorumque complices, & fautores ad quascumque Praelaturas, dignitates, & officia spiritualia, vel temporalia, & praesertim in ipsa Congregatione obtenta, & obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis Praelaturis, dignitatibus, administrationibus, vel officiis eo ipso privamus, ac privatos vocem tum activa, tum passiva carere decernimus, & declaramus, & in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicatione latae sententiae omnibus dictae Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictae Congregationis deputati erunt, praecipientes, districteque mandantes, ne aliquos precibus, literis, vel favoribus Principum, vel Praelatorum, aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti, ad cujusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes, & gradus promoveri praesumant. Imo promovendorum meritis, & virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant, memores sint, quo magis puro, & sincero corde, nulla privata, aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, sic literis, aut aliis favoribus Principum, & Praelatorum, vel aliorum extra gremium, ut praesertur, existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus injuste, ac indebite extortas, nullas, invalidasque esse, & adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda Monasteria, vel Prioratus, aut alia officia se eligi, aut assumi obtinuerint, per eisdem Congregationis Superiores quancumque procedi, & rei veritate cognita, condignis poenis, tanquam publicae dictae Congregationis quietis perturbatores affici posse, & debere, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate

fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, judicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictae Congregationis, & Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis illis, & illorum Superioribus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice motu, & scientia similibus latissime derogamus, ac derogatum esse volumus; Contrariis quibuscumque, aut si praedictis Congregationi, & Monachis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictae Congregationis Monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae Congregationis Capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis, vel impressis, manu Scribae dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Praesidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti ob signatis eadem prorsus fidem haberi, qua praesentibus haberetur, si eadem exhiberentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Aprilis 1574. Pontificatus nostri Anno II.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis d. Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipse praesertim literas per Nos confirmari, necnon praecipuum, quod in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis latae sententiae poena in hujusmodi literis sit Praelatis, qui pro tempore regimini dictae Congregationis deputati erunt, ne Monachos ad alias Praelaturas, dignitates, gradus, administrationes, & alia ipsius Congregationis officia precibus, literis, vel favoribus Principum, vel

Procurator Gener. petit confirmari.

vel Praelatorum extra gremium d. Congreg. existentium adducti promoveri praesumant, ad alios quosque, & singulos Abbates, & Superiores quorumcumque dictae Congregationis Monasteriorum, qui praedictos Monachos ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & cujusvis generis officia, tam spiritualia, quam temporalia, ab eisdem Monasteriis dependentia, precibus, & favoribus hujusmodi deputabunt, extendi, eosdemque Monachos ad similes favores recurrentes eadem poena ligari summopere desideret.

Confirmat Urbanus.

§.3. Nos prospero, feliceque dictae Congregationis gubernio, & regimini per amplius consultum esse cupientes, ipsamque Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatas existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim literas dicti Gregorii Praedecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit, innovamus, necnon omnibus, & singulis quorumcumque Monasteriorum, dictae Congregationis Abbatibus, & Superioribus quomodolibet nuncupatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena praecipimus, & mandamus, ne ad instantiam, preces, & requisitionem quorumcumque personarum tam laicarum, quam ecclesiasticarum extra gremium dictae Congregationis existentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, Imperiali fulgentium, quovis dictae Congregationis Monachos ad cujusvis generis Rectorias, Vicariatus, administrationes, & officia, quacumque tam spiritualia, quam temporalia singulorum Monasteriorum deputare praesumant, eosdemque dictae Congregationis Monachos, cujuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeminentiae, & literaturae existant, & quacumque dignitate praefulgant, qui tam ad Praelaturas, dignitates, gradus, & alia officia a Praelatis pro tempore regimini dictae Congregationis deputatis assequenda, quam etiam ad Rectorias, Vicariatus, administrationes, & alia officia quacumque tam spiritualia, quam temporalia a Praelatis, & Superioribus singulorum Monasteriorum impetranda, ad praedictarum personarum Principum, & Praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium favores per se, vel interpositam personam, directe, vel indirecte, occulte, vel palam, aut alias quomodolibet recurrerint, vel

ad Praelaturas, dignitates, administrationes, & alia hujusmodi dictae Congregationis, & Monasteriorum officia aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere conati fuerint, praedictas excommunicationis latae sententiae, aliasque inhabilitatis, & privationis poenas in praesertis Gregorii Praedecessoris literis contra similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere, & incurrisse decernimus, & declaramus.

§.4. Non obstantibus omnibus, & singulis, quae in praesertis literis idem Gregorius Praedecessor voluit non obitare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem harum literarum nostrarum notitia ad omnes Monasteriorum dictae Congregationis Abbates, Superiores, & Monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae Congregationis Capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique personaliter intimatae fuissent, illarumque exemplis impressis, manu Scribae dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Praesidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fidem adhiberi, qua praesentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Derogaturque contrariis.

Dat. die 11. Maii 1638. An.XV.

DLXXII.
Dotatio Ecclesiae Babilonien. in Persia.

Ex Regis in Secret. brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Super universas orbis Ecclesias eo disponente, qui cunctis imperat, & cui obediunt omnia, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quae Ecclesiae praedictae praesertim Cathedrales sub infidelium potestate existentes competentibus redditibus pro illarum oneribus supportandis, & congrua eorum praesulum sustentatione communiti valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius jugum Domini, & Ecclesiarum hujusmodi curam, & regimen suscipiant, cum se etiam temporalibus ad id auxilium suffultos senserint, libenter intendimus, & Christianissimum facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii patris affectu promovemus, specialibusque favoribus, & gratis confovemus.

Procurator

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, quaedam mulier natione Galla pio catholica fidei propaganda zelo ducta, e bonis sibi ab Altissimo elargitis, sex millia duplarum Hispanicarum ad Urbem transmissa alicui ex Ecclesiis sub infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandae pro Ecclesiae hujusmodi dote, & congrua illius praesulis sustentatione per nos perpetuo applicari desideret;

Pia femina, quamdam poenitentiam sibi donat pro christi genodispensatu in partibus infidelium

Nos

Pontifex Ec-
clesiæ Babilo-
nienis addicte.

§.2. Nos pium ejusdem mulieris desi-
deriū plurimum in Domino commendan-
tes, ipsamque specialibus favoribus, & gra-
tiis prosequi volentes, & a quibusvis ex-
communicationis, suspensionis, & interdi-
cti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen-
suris, & pœnis a jure, vel ab homine qua-
vis occasione, vel causa latis, si quibus quo-
modolibet innodata existit, ad effectum
præsentium dumtaxat consequendum har-
rum serie absolventes, & absolutā fore cen-
sentes: de Venerabilium Fratrum nostro-
rum S. R. E. Cardinalium negotio propa-
ganda fidei præpositorum consilio dicta sex
duplarum Hispanicarum millia in tot locis
montium Urbis prædictæ non vacabilem
ut infra investienda Ecclesiæ Bagdaten. seu
Babilonien. in Persia ad præsentis pastoris so-
lacio, ut pariter accepimus, destitute, pro
illius dotæ, & pro tempore futuri Episcopi
Bagdaten. seu Babilonien. qui quidem in
Gallia natus esse debeat, & apud Ec-
clesiam hujusmodi personaliter residere
sub pœnis a Sacro Concilio Tridentino
contra Episcopos non residentes inflictis,
& comminatis omnino teneatur, sustenta-
tione, itaut liceat ipsi Episcopo dictarum
sex millium duplarum Hispanicarum, sive
locorum montium inde emendorum fru-
ctus, redditus, & proventus, aliaque emol-
umenta quæcumque inde quomodolibet
provenientia percipere, exigere, levare,
ac in suos usus, & utilitatem convertere,
nullius licentia desuper requisita, apostolica
auctoritate, tenore præsentium, perpetuo
applicamus, & appropriamus.

Cum reserva-
tione sibi &
Rom. Pont.
juris nominan-
di ad illam,
excepta tamē
prima vice,
pro qua no-
minare debeat
ipsa donatrix.

§.3. Insuper eidem mulieri pro hac vice
dumtaxat, deinceps autem perpetuis futu-
ris temporibus, quoties, quandocumque,
& quomodocumque dictam Eccle-
siam Bagdaten., sive Babilonien. vacare,
contigerit, Venerabilibus Fratribus nostris
prædictis jus nominandi in eorum Congre-
gatione coram Nobis, & pro tempore
existente Romano Pontifice habenda ad
eamdem Ecclesiam personam idoneam,
quæ tamen in Gallia, & non alibi nata sem-
per esse debeat, ut præfertur, per Nos,
& pro tempore existentem Romanum
Pontificem in Episcopum dictæ Ecclesiæ
ad nominationem hujusmodi instituendam
auctoritate, & tenore prædictis, reserva-
mus, & concedimus.

Clausulas ap-
ponit.

§.4. Decernentes irritum, & inane,
quicquid secus super his a quoquam quavis
auctoritate scienter, vel ignoranter con-
tulerit attentari.

Derogat ob-
stantibus.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus,
& Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ
prædictæ etiam juramento, confirma-
tione apostolica, vel quavis firmitate alia
roboratis statutis, & consuetudinibus, pri-
vilegiis quoque, indultis, & Literis Apo-
stolicis in contrarium præmissorum quo-
modolibet concessis, confirmatis, appro-
batis, & innovatis. Quibus omnibus, &
singulis, etiam si pro sufficienti eorum de-
rogatione de illis, eorumque totis teno-

ribus specialis, specifica, expressa, &
individua, ac de verbo ad verbum, non
autem per clausulas generales idem im-
portantes mentio, seu quavis alia expres-
sio habenda, aut aliqua alia exquisita for-
ma ad hoc servanda foret illorum tenores
præsentibus pro plene, & sufficienter ex-
pressis, ac ad verbum insertis habentes,
illis aliis in suo robore permanens ad
præmissorum effectum, hac vice dumtaxat
specialiter, & expresse derogamus,
ceterisque contrariis quibuscumque.

Præscribitur
modus d. sum-
mam in tot
locis montium
investendi.

§.6. Volumus autem, ut dicta sex dup-
pliarum Hispanicarum millia in tot locis
montium Cameralium, seu Communita-
tum non vacabilem de Urbe prædicta, ad
dictum effectum investiantur, ac in eventum
illorum extractionis, sive extinctionis,
toties quoties id fieri contigerit, pecu-
niæ inde provenientes in alia loca mon-
tium similiter Cameralium, sive Commu-
nitatum non vacabilem de eadem Urbe
investiantur, & investiri debeant: & in-
terim donec investitio hujusmodi fiat, ead-
em pecuniæ penes Montem Pietatis dic-
tæ Urbis deponantur inde non amoven-
nisi ad effectum illas, ut præfertur inve-
stiendi, itaut dicta sex duplarum Hispanica-
rum millia, & loca montium ex illis emen-
da, ac alii quicumque fructus, redditus,
& emolumenta inde provenienti integre
semper, & perpetuo pro dicta Ecclesiæ
dote, illiusque Episcopi congrua sustenta-
tione remaneant, nec in alios usus quo-
vis prætextu, aut ex quavis causa conver-
ti possint.

Ecclesiæ, &
Episc. subdit
jurisdictioni
Congr. P.F.

§.7. Quodque dictus Episcopatus Bag-
daten., sive Babilonien., & illius pro
tempore existens Episcopus sint immedia-
te sub protectione dictorum Venerabilium
Fratrum nostrorum, ita tamen, ut illi,
neque circa Episcopatum hujusmodi, ne-
que circa dotem ejus, aut illius redditus,
neque circa Episcopum pro tempore exi-
stentem possint aliquid facere nisi in eorum
Congregatione coram Nobis, & nos-
tris Successoribus Romanis Pontificibus
habenda.

Dat. die 4.
Junii 1638.
An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam
Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta
Junii 1638. Pontificatus nostri Anno De-
cimoquinto.

Abfol.

Ex Regest. in
Secret. Brevis

DLXXIII.
Absolvit Novem Portionarios Ecclesiæ
Cæsaraugustan. a censuris, in qua incur-
rerant ob prætenso recursum eorum no-
mine factos ad Judices laicos in causa
inter ipsos, & Capitulum dictæ Ecclesiæ
vertente super distributionibus.

Dilecto filio Magistro Joanni Baptista Coccino
Causarum Sacri Palatii Apostolici
Auditori Decano.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam
benedictionem.

Expositio Por-
tionariorum
Ecclesiæ Cæ-
saraugustanæ.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filio-
rum Hieronymi Cluæ, & Do-
minici Adam, Martini Joannis Salazar,
Antonii Predas senioris, Antonii Rosell,
Martini Sanchez, Dominici Roso, Fran-
cisci Lallana, & Gregorii Escobedi Por-
tionariorum Ecclesiæ Cæsaraugustan. No-
bis expositum fuit, quod in literis secula-
rizationis dictæ Ecclesiæ fuerunt cuilibet
illius portionario, & beneficiato inservien-
ti præservatae quotidianæ distributiones il-
lis pro rata eorum servitii solvendæ; quas
distributiones postea per particulare eju-
dem Ecclesiæ statutum apostolica aucto-
ritate confirmatum debere ascendere ad
tria regalia monetæ illarum partium qua-
libet die pro Horis Divinis declaratum
fuit; subinde per Capitulum, & Canoni-
cos dictæ Ecclesiæ ejusdem Portionariis
distributiones hujusmodi in præfata quan-
titate præstite fuerunt, & Rota desuper
eisdem Portionariis mandata de manue-
nendo concessit. Cum autem dictis Capitu-
lo, & Canonicis intimatum fuisset man-
datum ultimo loco expeditum, & contra
eos mandato hujusmodi non parentes in-
terdictum, & declaratoria peteretur, ipsi
Capitulum, & Canonici ad differendum
partitionem hujusmodi opposuerunt, præ-
fatos exponentes habuisse recursum ad judi-
ces laicos sub prætextu, quod olim una,
seu pluribus vicibus conjunctim, vel divi-
sim, per Procuratorem, seu Procuratores
suos coram, seu ab eisdem Judicibus lai-
cis peterunt mandari præfatis Capitulo, &
Canonicis, ut dictos exponentes in pacifi-
ca, & quietâ possessione percipiendi respec-
tive distributiones, seu fructus suarum Pre-
bendarum, ac quasdam mensuras, sive
portiones vini, aliaque emolumenta juxta
pristinum usum, & consuetudinem dictæ
Ecclesiæ manutenerent, & propterea eos-
dem exponentes in censuras ecclesiasticas
incurrisse, & a limine Judicii repellendos
esse.

Necnon etiam
petitio abso-
lutionis a cen-
suris, si quam
incederet.

§.2. Cum autem, sicut expositio sub-
jungebat, licet dicti exponentes existiment,
se nullatenus in censuras ecclesiasticas
propterea incidisse, nec umquam senserint,
debere ab aliquo geri eorum nomine
quidquam illiciti, minusve intendant uti
gehis ab assertis Procuratoribus prædictis,
Bull. Rom. Tom. I. Par. II.

imo nec ea quidquam immunitati, vel
libertati ecclesiastica præjudiciale con-
tinere videantur, nihilominus iidem ex-
ponentes ad omnem scrupulum e medio
tollendum, ac ut ipsi tutius jura sua pro-
movere valeant, Nobis humiliter suppli-
cari fecerunt, ut sibi de opportuno circa
præmissa absolutionis beneficio providere
de benignitate apostolica dignemur.

Facultas Sacre
Rote Decano
eius absolven-
di.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes
specialibus favoribus, & gratiis prosequi
volentes, & eorum singulares personas a
quibusvis excommunicationis, suspensio-
nis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis
sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel
ab homine quavis occasione, vel causa la-
tis, si quibus quomodolibet innodata exi-
stunt, ad effectum præsentium dumtaxat
consequendum harum serie absolventes,
& absolutas fore censentes; hujusmodi
supplicationibus inclinati, tibi per præsen-
tes committimus, & mandamus, quatenus
confiso tibi legitime de præmissis eos-
dem exponentes, & eorum singulos, si hoc
a te humiliter petierint, imposita ipsis,
& eorum singulis, arbitrio tuo, aliqua
poenitentia salutari, renunciatoque prius
per eos prædictis, & quibuscumque aliis
præsentis recursum, & attentatis coram
quibuscumque Judicibus laicis quandocum-
que, & quomodocumque factis, a
quibuslibet censuris, & pœnis ecclesiasti-
cis quomodolibet forsitan per eos incurfis
ad cauthelam conjunctim, vel divisim,
auctoritate nostra apostolica absolvas, &
totaliter liberes, dictasque pœnas illis, &
eorum singulis gratiose remittas, & con-
dones.

Derogatio
contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus,
& Ordinationibus Apostolicis, ac quate-
nus opus sit, dictæ Ecclesiæ, etiam jura-
mento, confirmatione apostolica, vel
quavis firmitate alia roboratis statutis, &
consuetudinibus, ceterisque contrariis
quibuscumque.

Dat. die 2.
Julii 1638.
An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam
Majorem sub Annulo Piscatoris die secun-
da Julii 1638. Pontificatus nostri Anno De-
cimoquinto.

DLXXIV.

Irritatio Actuum factorum tam per Mini-
stros Regios Portugallie, & Judices,
quam per Ministros Sanctæ Sedis super
bonis, Cappellis vulgo nuncupatis, Eccle-
siarum, & Locorum Piorum Regnorum
Portugallie, & Algarbiorum contra
Jurisdictionem, & libertatem ecclesia-
sticam, & jura Sedis Apostolicæ.

Ex Regest. in
Secret. Brevis

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Quamvis juxta canonicas sanctio-
nes, & Constitutiones Aposto-
licas, etiam in Conciliis universalibus edi-
tas,
T

Facti series.

tas, ac in Bulla in Coena Domini quot annis legi solita innovatas, & approbatas, & prohibitum, & expresse interdictum sit, ne bona semel Deo dicata, ad laicales, seu profanos usus convertantur, neve Judices, & Principes laici super bonis Ecclesiarum, & Monasteriorum, Beneficiorumque Ecclesiasticorum, ac piorum operum manus apponant, praesertim ad illorum occupationem, ipsarumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorumque Ecclesiasticorum, ac piorum operum, & locorum praedictorum, ac ultimarum voluntatum, etiam antiquarum a Christifidelibus pro tempore pro ipsorum animabus apud Deum adjuvandis dispositarum, & relictarum abrogationem, praedictum, & gravamen, etiam contra leges civiles, quae illorum integram executionem, & plenam observantiam expresse jubent, & mandant; Nihilominus, ut accepimus, in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis sub praetextu asertarum legum, seu ordinationum illorum Regnorum, etiam illae a praemem: Gregorio IX., & aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, etiam occasione confirmationis concordatorum inter Regem, seu Reges, ac Praelatos, & Clerum alias initorum, annullatae, revocatae, & abrogatae fuerint; attentarunt, & inceperunt nonnulli, etiam Officiales, & Ministri Regis inquietare, & perturbare Ecclesias, Monasteria, Beneficia, opera, & loca pia hujusmodi, eorumque possessores super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per Christifidelium diversas largitiones relictis, & acquisitis, Cappellas vulgo nuncupatis, de facto, etiam auctoritate laicali, & Regia, & coram Judicibus laicis vexare, & molestare, & aliqui forsan etiam nulliter, ac de facto injuste, & indebite, illis easdem Ecclesias, & Monasteria, Beneficia, operaque, & loca pia praedicta, eorumque possessores expoliarunt: alii etiam occupantibus, & molestantibus nedum auxilium, & favorem tam in agendo, & occupando, quam in retinendo, & alias quomodolibet praestiterunt in animarum suarum praedictum, ac damnationem, sed etiam in violationem immunitatis ecclesiasticae, & usurpationem jurium Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, operum, & locorum piorum hujusmodi, ac Sanctae Matris Ecclesiae contemptum, & in scandalum plurimorum, censuras, & poenas in praedictis Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, universalibusque Conciliis, ac Bulla Coena Domini inscriptas damnabiliter incurrendo. Et quia a nonnullis aseritur, quod aliqui in dictis Regnis Ministri Sedis Apostolicae, & forsan etiam Collectores supradicta, vel eorum aliqua tacita conniventia, seu incuria tolerarunt, seu permiserunt; nonnullos etiam per modum declarationis, seu alias, qui praetendunt tendere in praedictum Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, operum, & locorum piorum, aliorumque praefatorum super praefatis Cappellis, ac

alias contra jurisdictionem, libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam, & jura Sanctae Sedis Apostolicae, aliasque praemissa fecerint, etiam si actus quorumcumque Officialium, & Ministrorum Sedis Apostolicae etiam Collectorum, vel eorum taciturnitates, conniventiae, tolerantiae, permissiones, omissiones, & acta quaecumque non possint eidem Sedi Apostolicae, ac jurisdictioni, libertati, & Immunitati Ecclesiasticae in aliquo praedictum, absque scientia, & approbatione nostra;

§.2. Nihilominus ad abundantiorum cautelam Nos, ad quos ex debito pastoralis officii Nobis divina dispensatione injuncti, pertinet, Ecclesias, Monasteria utriusque sexus, beneficia, operaque, & loca pia, piasque Christifidelium largitiones, & Cappellas praedictas, illarumque possessores, libertatem, Immunitatemque Ecclesiasticam, ac jura, & jurisdictiones Sanctae Matris Ecclesiae, & Sedis Apostolicae ab indebitis molestiis, vexationibus, & gravaminibus quibuscumque tueri, & liberare, super his de mentis nostrae declaratione, & de opportuno remedio, quantum Nobis ex alto conceditur, debite providere volentes, necnon praefatarum Legum, Ordinationum, & Statutorum ipsorum Regnorum, ac quorumcumque tam ab Officialibus, & Ministris Regis, & aliis quibuscumque, cujuscumque status, gradus, conditionis, praeminentiae, & dignitatis, etiam Ecclesiasticae, & Regalis, ac alias etiam speciali nota, & expressa mentione dignis, quam a quibuscumque Officialibus, & Ministris Sedis Apostolicae, ac etiam Collectoribus super praemissis quomodolibet forsan factorum, & gestorum, seu e contra omisorum, vel qualitercumque permissorum, & commissorum, ac inde sequutorum, quorumcumque tenores, etiam majores, & veriores, litiumque, & causarum, si quae etiam de facto super praemissis exorta, & pendentes sint, illarumque status, & merita, nominaque, & cognomina Judicium, ac Tribunalium quomodolibet qualificatorum, etiam laicalium, & colligantium, ac quorumcumque aliorum hic forsan exprimentorum, & inferendorum pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes; motu proprio, certaue scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium nostrarum literarum serie, omnes, & singulos actus etiam per modum declarationis, ac alias quomodolibet factos tam per quoscumque Ministros, & Officiales Regios, ac Judices, & quoscumque alios quavis auctoritate procedentes praefatos, quam per quoscumque Officiales, & Ministros Sedis Apostolicae, ac etiam per Collectores, & quascumque alias personas, & Tribunalia quavis auctoritate fungentes, & fungentia super praefatis bonis, Cappellas nuncupatis, Ecclesiarum, Monasteriorum utriusque sexus, beneficiorum, operumque, & locorum piorum praefatorum, &

Iritatio, de qua in Rubr.

contra eorum possessores praefatos, & alias contra jurisdictionem, libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, & jura Sanctae Sedis Apostolicae cum omnibus, & quibuscumque inde sequutis, & sequendis tanquam nulliter, & injuste emanatis, & emanandis, fuisse, & esse nulla, nulliusque roboris, & momenti, & quascumque Ministrorum, & Officialium Sedis Apostolicae, etiam Collectorum omissiones, negligentias, tolerantias, aut permissiones, & acta quaecumque nullum praedictum Ecclesiis, plisque locis attulisse, seu afferre potuisse declaramus, illosque, & illa, si aliquid validitatis unquam habuisse, & habere, aut hujusmodi praedictum afferre potuisse a quoquam praetenderetur, annullamus, improbamus, cassamus, revocamus, & irritamus, ac irrita, nulla, improbata, cassa, viribusque vacua fuisse, & esse, pro nullisque, improbatis, cassatis, revocatis, & irritis haberi decernimus, & singulis poterit oriri, a quoquam in iudicium deduci, nec praetendi possit, etiam praetextu cujuscumque interpretationis praesentium literarum, quarum interpretationem, & declarationem, ac praedictorum occupantium, & usurpantium quorumcumque, illisque auxilium, consilium, & favorem praestantium, & qui antea praestiterunt, absolutionem, itaut in quacumque facultate, & dispositione generali, etiam Cruciate sanctae minime comprehendantur Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat referamus.

Clausula.

§.3. Praesentes quoque literas, omniaque, & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, ac cujuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes, quicumque etiam Ministri, & Officiales praedicti, & praesertim Judices, Ministri, & Officiales Regii praedicti, & alii quicumque, cujuscumque qualitatis, status, gradus, dignitatis, conditionis, & praeminentiae, etiam speciali nota dignae existant, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitateque, & quaevis alia servanda, & adimplenda nullatenus servata, & adimpleta, & causa propter quas praesentes emanarint, adducta, verificata, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificata non fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione, & causa etiam in corpore juris clausis, & alia quacumque quantumvis rationabili, justa, & privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimentenda foret, a quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, vel adversus illa quodlibet juris, facti, vel gratiae remedium im-

Bull. Rom. Tom. V. L. Par. II.

petrari, vel sic impetrato; ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet concessio quempiam uti, seu se juvare in iudicio, & extra minime posse: sed illa semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suisque integros, & plenarios effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Nuncios Apostolicos, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ac quoscumque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Derogatio contrarium

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariae Apostolicae Regulis, & quatenus opus, sit illa de non tollendo iure quaesito, ac praedictis, & quibusvis aliis Regnorum praedictorum legibus, & ordinationibus, statutis, styliis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac eum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, seu etiam ad quorumvis etiam Regum, & aliorum Principum instantiam, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Julii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Die die 5. Julii 1638. An. XV.